

Zu Königlichem  
Leinwand " Bibliothek  
gehörig.

Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

1712

TM 0252

Theodor Mahlmann

1. Mai 2006

Burgdorf / CH

\*

Annunerator libri  
M. Javidijs Gladovij.

D. T. O. M. A.  
Disputatio Theologica  
DE  
**ANGELIS**  
ET BONIS ET  
MALIS.

*Quam*

Et decreto & autoritate  
*Venerandi Theologorum, Academiae ROSTO-*  
*CHIENSIS, Collegij*  
PRÆSIDE  
**JOHANNES TARNOVIO,**  
S. S. Theol. D. & Professore,

*Publicè examinandam proponit*

Calend. Octobris, in Auditorio Majori,  
horis matutinis

**M. PHILIPPUS JACOBUS FABRICIUS**  
Rostochienfis.



ROSTOCHII  
*Typis exscripsit Joachimus Pedanus, Acad. Typog.*  
ANNO M. DC XXV.



*ILLUSTRISSIMIS, REVEREN-*  
*dissimo, Celsissimisq; Principibus ac*  
*Dominis,*

DN. ADOLPHO FRIDERICO,  
&

DN. IOHANNI ALBERTO,

Fratribus Germanis, Ducibus  
Megapolitanis, Coadjutori Episcopæ Rat-  
zeburgensis, Principibus vetustæ gentis  
Henetæ, Comitibus Suerini, terrarum  
Rostochij & Stargardiæ  
Dominis,

*Dominis meis clementissimis,*

Studiorum meorum primitias de-  
voto corde

L. M. Q.

*Consecro*

Philippus Jacobus  
Fabricius.



Σὺν Θεῷ

THESIS I.



Memorable est Prophetæ Eli-

Proemii.

sæi visio, quæ describitur 2. Reg. 6. 16. & seqq. Cum enim à Benhadad rege Syriæ, irarum æstro percito, firmissimo circumvallaretur exercitu, vidit Prophe- ta montem plenum Angelorum apparentium in forma equorum & carruum igneorum, quorum præsidio munus animo invicto hostium copias elusit, ut cæci, ignariq; in hostis sui manus venirent.

II.

Quid hæc visio sibi velit, partim in textu, nimirum unusquisq; dum à Diabolo & mundo oppugnatur, omne præsidium in Dei tutela, ac ab eo concessa angelorum custodia habet repositum, explicatur, partim pie perpendendum nobis relinquatur. Discimus enim, nil aliud esse vitam nostram, nisi perpetuam quandam militiam, teste etiam Jobo milite longe tum exercitatissimo, tum constantissimo, cum sine fine tot vitiorum copijs oppugnemur, tot captemur artibus, tot appetamur insidijs.

III.

Ecce supernè in nostrum exitium pervigiles excubant nequissimi demones, mille dolis, mille nocendi modis



in nos armati, qui mentes nostras telis igniferis, lethaliq;  
tinctis veneno, moliuntur è sublimiconfigere: *inferne* quoq;  
lubricus ille anguis, primus pacis nostræ proditor, nunc  
in virenti gramine concolor abditus, nunc in cavernis  
suis delitescens, centenis contortus voluminibus non  
desinit carnis nostræ semel corruptæ calcaneis insidiari.

IV.

*Tum rursus à dextra lævaq;, à fronte pariter atq; à tergo  
mundus hic nos oppugnat, jam velut aperto Marte sæviens,  
animi mœnia gravi quatit ariete, jam actis oblique cu-  
niculis, inexpectatus adrepat, ut inter oscitantes, ac  
securos opprimat, qui, juxta Johannis vocem, totus est  
in vitijs constitutus, ideoq; Christo invisus.*

V.

Hoc tam formidabili tamq; difficili bello quando  
distringuntur boni omnes, pari sollicitudine illos quo-  
que illa equorum & curruum igneorum acies tuetur, ut  
quæ emissa eis *Ἀγγελοῦν Ἀγγ. τοῦ μέλλοντος κληρονομεῖν σωτη-  
ρίαν Heb. 1. 14.*

VI.

Quæ quidem *Angelorum ad hominum ministerium mis-  
sio, concordat*, uti è veteribus Bonaventura ait, *charitati  
primò divine*, quæ in hoc manifestatur, dum nobilissi-  
mos Spiritus intima sibi charitate conjunctos ad salutem  
nostram mittit. *Charitati 2. Angelica*, dum videntes nos  
sui auxilio contra Diaboli insultus indigere, ad ministe-  
rium nostrum se offerunt Deo. *Charitati 3. humana*, quæ  
quia debilis est, indiget foveri, nutriri & excitari.

VII.

Consideremus ergò summam hanc & admirandam  
divinæ clementiæ bonitatem: *quæ mittit Filium ad gene-  
ris*



*ris humani redemptionem, Spiritum Sanctum ad consolationem, Angelos ad protectionem: ad cuius intuitum extimulemur i. ut cum Bernhardo exclamemus, Domine, quid est homo, quod reputas eum? mittis illi unigenitum tuum, immittis Spiritum Sanctum tuum, promittis vultum tuum, & nequid vacet in coelestibus ab opere sollicitudinis, beatos Spiritus mittis in ministerium nostrum, Bernb. in Psal. 91.*

VIII.

Invitemur deinde ad devotas gratias, pro hac ipsius ingenti gratia ipsi agendas. Hac enim quæ major esse possit? *Adsunt Angeli, & adsunt tibi, non modo tecum, sed & pro te, adsunt ut protegant, adsunt ut profint.* Idem ibidem.

IX.

Quæ cum ita sint, & nos, memores admonitionis, quæ habetur *Prov. 15, 23.* ut & illius sententiæ, quæ Sophocli adscribitur *πάντα εὐκαιρα καλὰ, θεῶν εὐλογίῃ* & tempori nos accommodantes, materiam necessariam pariter ac utilissimam de Angelis (quantum instituti nostri ratio tulerit) disputationi subiciemus.

X.

Etsi verò de ijs non solùm in sacris literis, quantum nobis satis est, scribitur, verùm etiam apud prophanos scriptores & Philosophos non pauca disputantur: Et deinde tum à quibusdam Patribus, tum maxime à scholasticis plura ad disputandum proponuntur; nos tamen de hisce spiritibus invisibilibus nihil asserturi sumus, nisi quod è scripturis firmisq; rationibus edocemur. Magna enim est temeritas & audacia, ea de rebus invisibilibus adfirmare, quæ neq; à Deo sunt revelata, neq; manifestis rationibus demonstrari possunt.

Partes  
Disputa-  
tionis.

Vocis  
Angeli  
1. ετυμο-  
λογία.

2. ὁμωνυ-  
μία.

XI.

Et quia universa hæc de Angelis doctrina, ad duo ca-  
pita referri solet, quorum prius agit *de Angelis in genere*,  
posterius *de Angelis in specie* & *Bonis* & *Malis*: utrumque  
breviter expediatur.

XII.

Initio autem sciendum est, quod Angelus *nomen of-  
ficij sit, non nature*, dicatur à Græco ἀγγέλλειν, apud He-  
bræos מלאך quod nuncium seu legatum significat,

XIII.

Unde κατ' ἐξοχήν tribuitur Filio Dei, qui nonnun-  
quam in sacris pandectis appellatur מלאך Angelus  
Ose. 12, 4. Exod. 23, 20. cap. 32, 34. cap. 33, 2. מלאך  
האלהים Angelus Dei Gen. 31, 11, 13. Exod. 14, 19. מלאך  
יהוה Angelus Jehovæ Exod. 3, 2. Jud. 6, 11. cap. 13, 3, 16, 22.  
מלאך הציני Angelus faciei ejus Esa. 63, 9. מלאך הברית  
Gen. 48, 16. מלאך הברית Angelus fœderis  
Malach. 3, 1. Idq; propterea, quia est in sacrosancta Tri-  
nitate persona illa, per quam Pater cœlestis locutus est  
ad Patriarchas in V. T. & qui ad redemptionem humani  
generis à Patre emissus æterno fœdere nos sibi desponsa-  
tos Ose. 2, 19. Deo reconciliavit. 2. Cor. 5, 19.

XIV.

Specialiter deinde tribuitur ministris & doctoribus  
Ecclesiæ Malach. 2, 7. cap. 3, 1. Matth. 11, 10. Marc. 1, 2. Luc.  
7, 27. Jud. 5, 23. & Job. 33, 23. Apoc. 1, 20. cap. 2, 1, 8, 12, 18,  
cap. 3, 1, 7, 14. quiq; qui à Christo commissa legatione  
defunguntur 2. Cor. 5, 20. & ministri Christi, dispensato-  
resq; mysteriorum Dei nuncupantur 1. Cor. 4, 1.

XV.

Tertiò specialissimè omniumque communissimè per  
Ange-

Angelos intelliguntur Spiritus à Deo creati *Pfal. 104, 4.*  
ijq; tum boni *Gen. 24, 7. 40. cap. 28. 12. Psal. 34, 8. Psal. 91, 11.*  
*Matth. 1, 20. Luc. 1, 11. Act. 1, 10.* tum mali *Matth. 25. 41. 2.*  
*Cor. 12. 7. 2. Pet. 2. 4. Judea v. 6. Apoc. 12. 8.* à veritate, in qua  
creati erant, libera voluntate desciscentes.

### XVI.

Cœterum & alia hinc inde in scripturis Angelorum  
reperiuntur Synonyma, eaq; tum communia tum pro-  
pria.

3. συνώνυμα  
νυμία.

### XVII.

*Communia.* Dicuntur *רוח* spiritus *Pfal. 104. 4. 1. Reg. 22. 21.*  
*φλόξ πυρός* flamma ignis *Heb. 1. 7. שֵׁן לֵשׁ* ignis fla-  
grans *Pfal. 104, 4. λειτουργικὰ πνεύματα*, ministratorij Spi-  
ritus *Heb. 1, 14. & בְּנֵי הָאֱלֹהִים* Filij Dei *Job. 1, 6. cap. 2. 1.*  
*cap. 38, 7.* tum ratione creationis, tum ratione gratiæ &  
officij. Appellantur à virtute potestate ac dignitate,  
qua præditi sunt *ἀρχαγγελοι* 1. *Theff. 4. 16. ἀρχαί* principa-  
tus *Rom. 8. 38. ἄγγελοι δυνάμεως ἁγίας* Angeli virtutis Chri-  
sti 2. *Theff. 1, 7. ἰσχυροί* validi *Apoc. 5, 2. δυνάμεις* *Rom. 8, 38.*  
*θεοί*, throni, *κυριότητες* Dominationes, *ἐξουσίαι* potesta-  
tes *Col. 1, 16.* A forma apparitionum vocantur *כְּרֻבִים*  
Cherubim *Gen. 3, 24. שְׂרָפִים* Seraphim *Esa. 6. 2.* ab ar-  
dore.

### XVIII.

*Propria* Angelorum nomina hæc ferè in scripturâ sa-  
cra occurrunt MICHAEL unus de principibus primis  
*Dan. 10, 13. 21.* Archangelus *Judea v. 9.* GABRIEL *Dan.*  
*8, 16. Vir. cap. 9, 21.* Angelus *Luc. 1, 19. 26.* quo & referri  
solent RAPHAEL angelus Domini sanctus *Tob. 3, 25.*  
*cap. 5. 17. cap. 6, 16. cap. 8. 2. cap. 9. 6. cap. 11. 4. 7. cap. 12. 18.*  
URIEL 4. *Esd. 4, 1. cap. 5. 20. cap. 10. 28.* JEREMIEL  
Archan-

Archangelus 4. *Esd.* 4, 36. SEALTHIEL 4. *Esd.* 5, 16.  
quæ in medio relinquimus.

XIX.

Atque hæc sunt nomina, quæ in utroq; & V. & N. In-  
strumento in scripturis partim *Canonicis*, partim *Apo-*  
*cryphis* tributa angelis reperiuntur, quorum quædam ma-  
lis cum bonis Angelis communia sunt. Quæ verò tan-  
tùm de *Malis* dicuntur, ea seorsim referemus postea.

XX.

Angeli an  
sint.

Nunc descendimus ad quæstionem, an verè exi-  
stant Angeli, veraq; sint *ὄψις ἁπλῆ*, veræq; substantiæ?

XXI.

Olim Sadducei, ut habemus in *Actis cap. 23. 8.* sicut  
negabant resurrectionem mortuorum: sic etiam inficia-  
bantur Angelos esse aut Spiritus. Contendebant verò  
Angelorum nomine tam bonorum, quam malorum in  
scripturis nihil aliud intelligi, quam *bonas vel malas inspi-*  
*rationes seu cogitationes.*

XXII.

Verum somnium hoc Sadduceorum refellitur facile  
tum apertis scripturarum testimonijs *Psal. 91, 11. Ps. 104. 4.*  
tum etiam rationibus, quibus recensendis hac vice su-  
perfedemus.

XXIII.

Angelorū  
apparitio-  
nis  
1. Objectū

Deindè ex innumeris visionibus & experientia idem  
est manifestissimum. In visibili enim forma sanctissimis  
Dei hominibus in utroq; & V. & N. Instrumento multo-  
ties apparuerunt: Lotho omniq; populo Sodomitico  
*Gen. 19. 1. 4.* Jacobo *cap. 28. 12. cap. 32. 1.* Davidi *2. Sam. 24.*  
*17. 1. Paral. 21. 16.* Ornan & quatuor filijs *vers. 20.* Eliæ  
*1. Reg. 19. 6. 2. Reg. 1. 3.* Elisæo ejusq; puero *2. Reg. 6. 17.*  
Gad

Gad Prophetæ 1. *Pardl.* 21. 18. *Esaiaë cap. 6, 2.* *Danieli cap. 8, 15.* *Zachariæ sacerdoti Luc. 1, 11.* *Mariæ virgini v. 25.* *pastoribus cap. 2, 9.* *Josepho Matth. 1, 20.* *Christo Luc. 22, 43.* *Custodibus sepulchri Matth. 28, 2.* *mulieribus ad sepulchrum profectis v. 5.* *Marc. 16, 5.* *Luc. 24, 4.* *Mariæ Magdalænæ Joh. 20, 12.* *viris Galilæis Act. 1, 10.* *Apostolis Act. 5, 19.* *Philippo cap. 8, 26.* *Petro cap. 12, 7.* *Paulo cap. 27, 23.* *Cornelio centurioni cap. 10, 3.* *Johanni Apoc. 5, 2. cap. 7, 1. & seqq.*

#### XXIV.

Et his quidem partim vigilantibus *Luc. 1, 27.* partim *2. Tempus.* dormientibus *Gen. 28, 12. 1. Reg. 19, 5.* *Matth. 1, 20. cap. 2, 13. 19.* partim in itinere pergentibus *Gen. 32, 1.* partim officio fungentibus *Luc. 1, 9. cap. 2, 8.* aliquando vespere *Gen. 19, 1. noctu v. 4. Luc. 2, 8. Act. 5, 19. cap. 12, 7. cap. 27, 23.* mane *Gen. 19, 15.* die *Act. 1, 10.* summo diluculo *Matth. 28, 2. Marc. 16, 5. Luc. 24, 4. Joh. 20, 12.*

#### XXV.

Sæpè etiam in solitudine 1. *Reg. 19, 5.* in via *Gen. 32, 1. 3. Locus.* in area, Ornan. 1. *Chron. 21, 18.* in civitate Sodomæ *Gen. 19, 1.* in montium circuitu 2. *Reg. 6, 17.* proprè Hierosolymam 2. *Macc. 11, 8.* in templo *Luc. 1, 11.* in urbe Nazareth v. 26. in regione Bethlechem *cap. 2, 8.* in horto *Luc. 22, 48.* in sepulchro Christi *Matth. 28, 2. Marc. 16, 5. Luc. 24, 4. Joh. 20, 12.* in aère *Act. 1, 10. Luc. 2, 14.* Cæsareæ in domo Cornelij *Act. 10, 1. 3. c. 11, 13.* in carcere *Act. 5, 19. c. 12, 7.* in quatuor plagis terræ *Apoc. 7, 1.*

#### XXVI.

Apparuerunt autem varijs modis ac speciebus: in *4. Modus.* figura virorum *Gen. 19, v. 8. Luc. 24, 4. Act. 1, 10. Dan. 8, 15. Act. 10, 30.* equorum & curruum igneorum 2. *Reg. 6, 17.*

B

6, 17. adolescentis amicti stola candida. *Marc.* 16, 5. albo vestitu *Matth.* 28, 2. *Job.* 20, 12. *Act.* 1, 10. uestibus fulgurantibus *Luc.* 24, 4. in specie viri vestiti lincis, cuius renes accincti auro obrizo, & corpus ejus quasi chrysolithus *Dan.* 10, 6. gladio e ducto in manibus *1. Paral.* 21, 16. circumfulgente gloria Domini *Luc.* 2, 9.

#### XXVII

Ita quoque dicuntur venisse *Gen.* 19, 1. domum ingressi, comedisse *Gen.* 18, 8. *cap.* 19, 3. apparuisse *Matth.* 1, 20. dixisse & monuisse *Matth.* 2, 13. 19. *cap.* 28, 7. *Marc.* 16, 7. *Luc.* 24, 7. *Joban.* 20, 12. *Actor.* 5, 19. 20. *cap.* 10, 32. per scalam ascendisse & descendisse *Gen.* 28, 12. stetisse *2. Sam.* 24, 17. *1. Paral.* 21, 16. *Actor.* 27, 23. sedisse *Marc.* 16, 5. *Job.* 20, 12. ambulasse *Dan.* 3, 25. volasse *Dan.* 9, 21.

#### XXVIII.

Vtrum autem figuræ illæ, in quibus apparuerunt inania fuerint *Φαντασμα*, an verò corpora κατ' οὐνοποιαν alieni ministerij ergò ad tempus duntaxat assumpta; non æquè convenit inter omnes.

#### XXIX.

Illud certum est corpora hæc aspectabilia, in quibus leguntur apparuisse, non fuisse illis propria & substantiam eorum Angelicam constituentia: Iis enim Angeli ad sui perfectionem nequicquam indigent.

#### XXX.

Qualia verò illa fuerint, utrum ex nihilo creatas, an ex densato aëre, aliave materia compacta: denique quid expleto ministerio ijs factum sit, curiosum est quærere, definire temerarium, adeoque ignorare sine crimine fatius est, quam cum discrimine scrutari.

Opus

XXXI.

Opus DEI esse Angelos, & creaturarum nomine cō-  
prehendi sacra pandectæ testantur. Deus enim Angelos  
suos facere seu fecisse dicitur *Pf. 104, 5. Hebr. 1. 7.* & per ipsum  
Filium Dei *ἐκτίσθη πάντα τὰ ἐν τοῖς ἔθνευσι, καὶ τὰ ἴσθι τῆς γῆς,  
καὶ ὄρατα καὶ ἀόρατα, εἴτε θεόεντα, εἴτε κτιστά, εἴτε ἀκίνητα,  
εἴτε ἐξίσια Coloss. 1, 16.*

Angelorū  
Creatio.

XXXII.

Licet enim in creationis *ἑξαήμερω* expressè eorum  
non fiat mentio, non tamen propterea ex censu creatu-  
rarum exempti sunt: quia præter Deum nihil est *ἀκίνητον  
καὶ αἰδίου.* Voluit Moses studio illud omittere, quia  
rerum visibilium creationem describere instituit, *ut Au-  
gustinus & alij censent.*

XXXIII.

Non fuisse verò conditos *antè creatam visibilis mundi  
materiam*, inde liquet: quia Moses ait *בְּרֵאשִׁית* In  
principio creavit Deus cœlum & terram. Ante igitur  
illud principium creati non fuerunt: alioqui principium  
illud non fuisset rerum creatarum principium. Item  
*Gen. 1. & 2.* ait Moses intra sex dies illos, quos recensuit,  
perfecta fuisse omnia opera Dei. Id quod repetitur  
etiam in lege Domini, sex diebus operatum esse Deum  
omnia opera sua, die autem septimo quievisse *Exod. 20,  
10. cap. 31. 17.* Quis autem neget Angelos inter opera  
creationis contineri? Hinc evincitur creatos eos fuisse  
intra spacium sex dierum, qui condendis rebus destina-  
ti fuerunt.

XXXIV.

Quoto autem die atq; ordine creati sint, disertè non  
exprimitur, hinc illa sententiarum divortia. *Quidam*

B 2

primo



*primo die* creatos esse, ex eo probare conantur, quia *Job. 38, 7.* dicitur, quod astra matutina & filij Dei laudaverint DEUM, cum fundamenta terræ poneret, quæ utiq; die primo sunt constituta. *Quidam secundo die* conditos statuunt, & eodem statim die quosdam ex ipsis lapsos, cum operi secundæ diei non addatur à Deo hoc elogium, vidit Deus quod esset bonum *Genes. 1, 8.* *Quidam* eorum creationem *ad diem tertium* referunt, argumento ducto ex *Col. 1, 16.* Cum enim Angeli sint in cœlo, eisdem habitaculo suo non priores esse censent.

XXXV.

Sed scrupulosè magis, quam utiliter quæritur. Etenim, ut verè scribitur,

Nescire velle, quæ Magister maximus  
Docere non vult, erudita inscitia est.

XXXVI.

*Angelorū  
natura.*

Illud majori cum fructu quæritur, quinam à Deo sint creati? *Natura* eorum describitur vocabulo Spiritus *Heb. 1, v. ult.* undè eos ἀύλας & incorporeos esse omninò caret dubio, ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει *Luc. 24, 39.*

XXXVII.

Necq; tamen ita puri sunt, vel ita simplices, ut Deus, cui μονοθεῶς καὶ ἐξαιρέτως competit nomen Spiritus. Sicut enim est ἁπλοῦς ὑπερῶσι, ita est Spiritus Spiritualissimus supra reliquorum Spirituum seriem longè euectus & infinitis modis illis superior. Sed eâ tantum compositionis specie carent, quæ Physicorum corporum propria est.

XXXVIII.

Sive enim eorum spectes originem, & antiquitatem, sive vitæ & durationis longitudinem, naturæ  
gra-



dum & conditionem, nec mortis necessitati, nec frigoris, caloris, famis, sitis, ulliusve lassitudinis, aut morbi molestijs obnoxiam; sive agilitatem & intellectus mentisq; dignitatem; sive insignem eorum consideres virtutem & perfectionem, dubio procul omnium, quæ in hoc amplissimo & nobilissimo universitatis theatro continentur, dictâ ratione, principatum obtinent.

XX XIX.

Verum non omnes servata origine *Gen. 1, 31.* in veritate, bonitate & perfectione naturali perstiterunt *Job. 8, 44.* sed reliquerunt domicilium suum *Juda. v. 6.* & peccarunt *2. Petr. 2. 4.*

*Angelorum  
discrimē.*

XL.

Hinc nata est distinctio inter Angelos bonos & malos, quos communi nomine diabolos appellamus. De Bonis prius, postea de Malis dicturi quoq;.

*DE Angelis  
Bonis.*

XLI.

Quod ad numerum beatorum angelorum attinet, is in scriptura sacra non definitur: tamen maximam eorum esse multitudinem, sæpissimè commemoratur. Jacobus tota castra angelorum obviam habuit *Gen. 32, 1.* Elifæum numerosus exercitus, isq; igneus contra Syros tutatur *2. Reg. 6, 17.* Daniel videt antiquo dierum millia millium ministrantia, & decies centena millia adsistentia *Dan. 7, 10.* Angelo Christi nativitatem annuncianti repente adfuit *πληθος στρατιῶν ἁγίων Luc. 2, 13.* Christus plures, quàm duodecim legiones à Patre sibi exhiberi posse ostendit *Matth. 26, 53.* Hebræi accessisse dicuntur ad multorum millium angelorum *πανήγυον Heb. 12, 22.* Johannes audivit vocem Angelorum multorum, & erat numerus

*Numerus  
eorum.*

eorum millics centena millia, & decies centena millia,  
*Apoc. 5, II.*

#### XLII

Undè non rarò scriptura, quando de Angelis loquitur numerum pluralem adhibet *Psal. 91, II.* Angelis suis mandavit de te. *Matth. 25, 31.* Cum venerit Filius hominis & omnes sancti Angeli cum eo &c. *Luc. 16, 22.* Factum est, ut moreretur Lazarus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahamæ. *Conf. 1. Pet. 1, 12. 1. Thess. 4, 16. Matth. 13, 39. 39.*

#### XLIII

*Ordo.*

Cum verò tantus sit Angelorum beatorum numerus, estne aliquis inter illos *ordo*? Vix dubitari debet. Id enim voces Angeli & Archangeli *1. Thess. 4, 6. Iudæ v. 9.* ut & cœtera nomina, potestates, imperia, dominationes, throni *Ephes. 3, 19. Rom. 8, 38. Col. 1, 16.* haud obscure declarant.

#### XLIV.

Sed quinam & quot illi sint ordines, novemne (ut multi opinantur) an plures? & quomodo inter se differant, ac sint distincti, num claritate, donis, potentia ac viribus, an verò officijs, certò decerni aut adfirmari non potest, propterea quod in scriptura hac de re altè planè sit silentium.

#### XLV.

Nec opus est ἀσεβῶσαι, sicut subtiles Seraphici & Cherubici disputatores de his omnibus differunt, ut meritò quis quærat, quàm nuper sint cœlo delapsi? tum demum videbimus, quando beatis illis spiritibus associati uno ore ac voce DEVM laudabimus.

Hinc

XLVI.

Hinc rectè *Augustinus* fatetur ingenium illud nescio ad *Oros. contra Priscil. cap. II, Tom. 6. f. 65.* dum ita inquit, Esse sedes, dominationes, principatus, potestates in celestibus apparatibus, firmissimè credo, & differre aliquid indubitata fide teneo: sed quò me contemnas, quem magnum putas esse doctorem, quænam ista sint, & quid inter se differant, nescio.

XLVII.

Rerum porrò cognitionem & excellentem intelligentiam Angelis esse extra dubitationis aleam ponitur. Habent enim notitiam naturalem in creatione sibi inditam; habent insuper revelatam ex revelatione divina *Dan. 8, 10.* habent denicq; experimentalem *Eph. 3, 10. 19.*

Intelligentia

XLVIII.

Itaq; secundum trita illa Theologorum axiomata, finita est eorum intelligentia, non infinita, & singulas singulorum hominum actiones, cogitationes, affectus, quid agant, dicant, patiantur, cogitent non noverunt.

XLIX.

Horum enim omnium inspectionem & notitiam soli Deo *καταδιονωσεν* scriptura vendicat *Psal. 7, 10. Act. 1, 24. cap. 15, 8. Rom. 8, 27. 1. Cor. 2, 11. Heb. 4, 13.* Si tamen vehementior quædam hominis cogitatio per signa sese prodat, mirum non est, Angelis eam notam esse, cum sæpè ne hominis quidem sagacis, multoq; rerum usu perspicacis cognitionem effugiat.

L.

Incredibilis & admiranda Angelorum Potentia partim ex appellationibus præmissis, partim ex perspicuis scripturæ demonstratur testimonijs. Appellantur enim

Potentia.

¶

כח־גברי fortes robore *Psal.* 103, 20. potentes 2. *Thess.* 1, 7.  
validi *Apoc.* 5, 2. utpote qui vires humanas longè exsu-  
perent. 2. *Pet.* 2, 11.

L I.

Similiter ex admirandis operibus luculentissimè vi-  
res eorum demonstrari possunt. Angeli enim emissa  
manu Lothum ad se introducentes, ostiumq; clauden-  
tes populum Sodomiticum cœcitate percusserunt *Gen.*  
19, 20. Unus Angelus in populo Davidis uno triduo neca-  
vit septuaginta virorum millia 2. *Sam.* 24, 15. 1. *Paral.* 22, 14.  
In Assyriorum castris unus Angelus una nocte trucidavit  
centum octoginta quinq; millia 2. *Reg.* 19, 35. 2. *Paral.*  
32, 21. *Esa.* 37, 36. *Eccles.* 48, 24. 1. *Macc.* 7, 41. 2. *Macc.* 15, 22.  
Angelus aperuit fores carceris & eduxit Apostolos *Act.*  
5, 19. Ad Angeli adventum Petro deciderunt catenæ de  
manibus, ac spontè aperta est porta ferrea, quæ duxit ad  
civitatem *Act.* 12, 7, 10. Herodem Angelus percussit, ut  
erosus à vermibus exanimaretur *cap. cod. v.* 23. Johannes  
vidit quatuor Angelos insistentes quatuor angulis terræ,  
retinentes quatuor ventos terræ, ne flaret ventus super  
terram, neq; super mare, neq; ullam arborem. *Apoc.* 7, 1.

L II.

Definita tamen est ipsorum potentia, & certis limi-  
tibus circumscripta, quod Apostolus innuere videtur in  
*epist. ad Rom. cap. 8. 38.* dum ita inquit: Πέπεισμαι ὅτι ἔτε  
θανάτου, ἔτε ζωῆς, ἔτε ἀγγέλων, ἔτε δεσπότην, ἔτε δυνάμεων, ἔτε ἐνε-  
στῶτα, ἔτε μέλλοντα, ἔτε ὑψώματα, ἔτε βάρη, ἔτε τίς κτίσις ἐτίθει  
δυνήσεται ἡμᾶς χωρὶς αὐτοῦ τῆς ἀγάπης τοῦ Θεοῦ, τῆς ἐν τοῖς ἁγίοις  
ῤησῶ τῶ κυρίου ἡμῶν.

L III.

Perfectio.

Cœterum Angeli Boni, posteaquam constanter in  
veritate

veritate perstiterunt, ita confirmati sunt in gratia, & in dono perseverantia, beatiq; effecti sunt, ut à summo illo bono, cui adhæserunt, ad aliquod malum deficere, eoq; peccare amplius nec velint, nec possint.

LIV.

Undè dicuntur electi DEI Angeli 1. Tim. 5, 21. Beati Matth. 18, 10. Veraces Heb. 2, 2. Boni 2. Macc. 11, 6. cap. 15, 23. Sancti Matth. 25, 31. Marc. 8, 38. Luc. 9, 26. Act. 10, 22. Angeli lucis 2. Cor. 11, 14. ac electi futuri sunt aliquando ἰσάγγελοι Luc. 20, 36.

LV.

Hæc tamen superveniens gratia Angelorum naturam non sustulit, sed perfectiorem reddidit, cum liberior sit voluntas, quæ à bono decidere nequit, quemadmodum eleganter Augustin. ait in Enchirid.

LVI.

Beata & gloriosa sanctorum Angelorum conditio multis sacrae scripturae locis depingitur Dan. 7, 10. Zach. 12, 8. Act. 6, 15. Apoc. 3, 5. Ideò Apostolus obtestatur Timotheum ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῶν ἐκλεκτῶν ἀγγέλων in conspectu DEI, & Domini Jesu Christi & electorum Angelorum 1. Tim. 5, 21.

Gloria.

LVII.

Officium eorum communiter sic describitur Heb. 1, 14. quod omnes sint πνεύματα λειτουργικὰ εἰς διακονίαν ὑποστέλλόμενα θεῷ τοῦ μέλλοντος κληρονομεῖν σωτηρίαν, Spiritus ministratorij ad ministerium emissi propter hæredes futuros salutis.

Officium.

LVIII.

Describi id potest dupliciter, respectu diversorum objectorum 1. Dei 2. Hominum.

DEO

C



## LIX.

*ψαλμω-  
δία.*

DEO inferviunt 1. *ψαλμωδία* hymno & laudibus eum celebrando: Ita canunt *ἁγιῶν* illud, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum *Esa. 6, 3.* antiquo dierum adstant *Dan. 7, 10.* honorem exhibent ei *Apoc. 7, 12.* benedicunt Jehovæ *Psal. 103, 20.* laudant eum *Psal. 148, 2.* *Luc. 2, 13.* adorant eum *Heb. 1, 6.* stantes in circuitu throni & procumbentes in facies suas *Apoc. 7, 12.*

## LX.

*ἀεισργία*

2. *ἀεισργία* ministerio, mandata ejus exequendo, id quod patet ex historia Lothi *Gen. 19, 1. 4.* Elifæi *2 Reg. 6, 17.* & aliorum. Sic per Angelorum dispositionem lex est ordinata *Act. 7, 33. Gal. 3, 19.* Danieli Angelus visionem explicat *Dan. 8, 15.* Johannis Baptistæ nativitatem annunciat Zachariæ *Luc. 1, 11.* Beatæ virgini Mariæ Christi à Spiritu Sancto conceptionem *Luc. 1, 26.* nativitatem pastoribus *Luc. 2, 9.* fugam in Ægyptum & reditum Josepho imperat *Matth. 2, 13, 19. 22.* resurrectionem mulieribus *Matth. 28, 5. Marc. 16, 6. Luc. 24, 5.* adscensionem & reditum ad judicium viris Galilæis *Act. 1, 10.* exponit.

## LXI.

Hominibus quoq; *varijs modis inferviunt*, parvulos curant, adultos in vijs suis custodiunt, morientibus præsto sunt, nec solum singulorum credentium, sed etiam omnium statuum à DEO ordinatorum, Ecclesiastici, Politici & Oeconomici, sedulam curam ac custodiam suscipiunt, tresq; has Hierarchias contra totam Satanicam cohortem defendunt, ut ex seqq. patebit.

## LXII.

*In choro.*

In statu Ecclesiastico quasi quidam diuinæ erga Ecclesiam beneficentiæ dispensatores ministerij causa emissi  
*Heb.*

*Heb. 1, 14.* mysteriorum divinorum consideratione *1. Tim. 3, 16.* *1. Pet. 1, 12.* & peccatorum resipiscencia delectantur *Luc. 15, 7.* cursum verbi divini & sacra promovent *1. Paral. 21, 18.* futura tum læta *Luc. 1, 11. 13. cap. 2, 9. Act. 5, 19. cap. 10, 3. cap. 23, 23.* tum quoq; tristitia annunciant *Dan. 8, 17. Apoc. 1, 1. & seqq.* docent monent & instituant *2. Reg. 1, 3. 15. Gen. 19, 12. Matth. 1, 20. cap. 2, 13. 19. cap. 28, 6. 7. Marc. 16, 7. Luc. 24, 7. Job. 20, 12. Act. 1, 10. cap. 15, 19.* custodiunt & protegunt pios Ecclesiæ Doctores, Prophetas *1. Reg. 19, 6. 2. Reg. 6, 17. Dan. 6, 22.* Apostolos *Act. 5, 19. cap. 12, 7. cap. 27, 23.* testes præterea sunt, & observatores *εὐταξίας καὶ εὐχημοσύνης* in Ecclesia *D. E. I. 1. Cor. 11, 10.* deniq; asportant piè defunctorum animas in sinum Abrahæ *Luc. 16, 22.*

LXIII.

In *Statu Politico* tuentur pacem, & pij Magistratus *In foro.*  
 honorem promovent *2. Pet. 2, 11.* contra malos Spiritus  
 pugnantes *Dan. 10, 13. Jude v. 9.* ab hostibus eisdem quo-  
 que liberantes *2. Reg. 19, 35. 2. Par. 32, 21. Esa. 37, 36. Eccl. 48, 24. 1. Macc. 7, 41. 2. Macc. 15, 22.*

LXIV.

In *Statu Oeconomico* matrimonijs piè contrahendis *In thoro.*  
 profunt *Gen. 24, 7.* cædem & pericula infantum prohi-  
 bent *Matth. 2, 13. 19, 20.* ad faciendum officium hortan-  
 tur *Gen. 19, 12. Matth. 1, 20.* sanitatem restitunt *Job. 5, 4.*  
 tuentur *Dan. 3, 49. cap. 6, 23. cap. 14, 33.* custodiunt *Psal. 91, 11.* & castra metantur circa timentes Dominum.  
*Psal. 34, 8.*

LXV.

Hinc quæritur, an singulis hominibus singuli Angeli  
 ad custodiam dati, an verò plures? Posterius verisimilius  
 esse videtur ex *Gen. 32, 2. 2. Reg. 6, 17. Psal. 91, 11. Matt. 18, 10.*

Luc. 16, 22. prius nonnihil coactum & scripturæ minus accommodatum.

LXVI.

Affectus.

De affectibus Angelorum, amore, odio, lætitia, tristitia, & alijs hujus generis breviter hoc monemus, improprie illos de substantijs beatis prædicari: A scripturæ tamen consuetudine nequaquam recedendum, sed ut loquitur Spiritus Sanctus, ita quoque nobis loquendum esse.

LXVII.

Lingua.

De Linguis & mutuo angelorum sermone 1. Cor. 13, 1. Esa. 6, 2. otiosè aut curiosè disputare nihil attinet. Corporeæ enim molis expertes Spiritus non sermone aliquo *περφορικῶς*, sed solo voluntatis arbitrio, in intellectu suo *νοήματα* seu cogitationes suas promere consentaneum est.

LXVIII.

Nam in scripturis sæpè etiam verbum dicendi & loquendi apud se, ad animum transfertur, & significat cogitare & considerare, veluti illud *Psal. 14, 1.* Dixit insipiens in corde suo: Et alibi. Ergò loqui ad alterum, quid aliud fuerit inter Spirituales substantias, quàm Spiritum unum, quæ ipse novit & cognovit, ea alteri Spiritui modo spirituali significare, & q. in alterius mentem insinuare.

LXIX.

Quare Damasc. lib. 2. de orthodoxa fide, postquam dixisset, Deum esse primum *Φῶς* lucem, undè omnia sunt lumina: & Angelos esse *Φῶτα δέτερα νοερά* sic scribit: *Φῶτα δέτερα νοερά ἐκ τῆς πρώτης καὶ αἰδίου φωτὸς τὸν φωτισμὸν ἔχοντα, ἔ γλώσσης καὶ ἀκοῆς δέοντα, ἀλλὰ ἀνδρὶ λόγῳ*  
*περφορικῶς*



προφορικῶς μεταδίδοντα ἀλλήλοις τὰ ἴδια νοήματα καὶ βελού-  
ματα.

LXX.

Restat contra Angelolatrias explicanda quæstio, an *Angelolatrias.*  
*Angeli sint invocandi?* minimè verò. Johannes enim a-  
doraturus Angelum hoc responsi accepit *Apos. 19, 10.* ὄρα  
μή. σύνδουλος σε εἰμι, καὶ τῶν ἀδελφῶν σε τῶν ἐχόντων τὴν  
μαρτυρίαν τοῦ Ἰησοῦ. τῷ θεῷ προσκύνησον. Idem repetitur *A-*  
*pos. 22, 9.* proponitur autem illis verbis non tantum di-  
ferta prohibitio, sed etiam prohibitionis ratio. 1. σύνδουλος  
σε εἰμι, conservus tuus sum & itidem creatura. 2. τῷ θεῷ  
προσκύνησον, cui soli adorationis cultus debetur *Deut. 6, 14.*  
*Matth. 4, 10. cap. 6, 9.*

LXXI.

Colamus verò eos, uti dictum est, reverentia & justo  
honore, simus devoti, simus grati tantis custodibus,  
redamemus eos, quantum possumus, quantum debe-  
mus.

LXXII.

Hoc fieri potest, si secundum hæcenus ex sacris lite-  
ris repetitam doctrinam non abjectius de ijs sentiamus,  
quàm dignitas eorum admittit, siquæ ea, quæ illis displi-  
cent, omittamus, & quæ placent, committamus seu fa-  
ciamus.

LXXIII.

Illis displicent, quæ vel cum pietate, vel honestate  
pugnant, id est, quodlibet peccatum. Ubi enim non  
est D E I gratia, ibi nec Angelorum præsentia. *Et rectè*  
*Basil. in Psal. 33.* ὡς τὰς μέλισσας καπνὸς φυγαδίζει, καὶ τὰς  
πείτερας δυσώδεια ἐξελαίνει, ἔτω καὶ τὸν φύλακα τῆς ζωῆς  
ἡμῶν ἄγγελον ἢ πολύδακρυς, καὶ δυσώδης ἀφίτησιν ἀμαρτία.

## LXXIV.

Illis placent pium verbi divini studium, & Christianaejisdem praxis, quæ consistit in vera pœnitentia, ejusq; fructibus, quibus omnibus & singulis studere oportet eum, qui Angelorum ministerio & tutela gaudere cupit *Luc. 15, 7. 10.* His enim gaudent inservire Angeli, quos olim in vita æterna socios habebunt. *Heb. 1, 14.*

## LXXV.

Hactenus ergo de Bonis Angelis egimus: reliquum, ut de malis spiritibus, quantum in scripturâ nobis revelatum est, breviter agamus.

## LXXVI.

Suprà ostendimus Angelos quosdam in veritate non perstitisse *Job. 8, 44.* neq; ἀρχῆν originem seu Principatum suum conservasse *Juda v. 6.* sed peccasse *2. Pet. 2, 4.*

## LXXVII.

Factum illud est, non ex absoluto decreto divino, sed propria liberi ipsorummet arbitrij voluntate, quâ etiam ad bonum, æquè ac Angeli boni, uti potuissent, si voluissent. Diabolus enim, cùm loquitur mendacium ἐκ τῶν ἰδίων ex proprijs, h. e. ex seipso loquitur. *Job. 8, 44.*

## LXXVIII.

Nec illud dubio caret, utrum adhuc antè creationis consummationem, statim post ortum suum ab initio desciverint (uti Christus innuere quibusdam videtur *Job. 8, 44.*) an verò post diem sextum completo jam creationis opere, secundum illud: *וַיַּרְא אֱלֹהִים אֶת-כָּל-אֲשֶׁר עָשָׂה וְהִנֵּה טוֹב כָּמֹן* Et vidit Deus omne quod fecit & ecce bonum valde *Gen. 1, 30.*

## LXXIX.

Quodnam autem fuerit primum ipsorummet peccatum,

De Ange-  
lis Malis.

Lapsus eo-  
rum.

Lapsus  
causa.

Tempus.

tum, disertè non exprimitur in sacris literis. fuisse tamen vel superbiam *August. tract. 49. in Job. Ambros. epist. 48. ex Eccles. 10. 15.* vel invidiam *Cyprian. in sermon. de zelo ex Sap. 2, 24.* vel mendacium ex ipsorum studijs & operibus probabiliter colligitur.

LXXX.

Nomina Angelorum malorum in sacris literis plurima occurrunt. I. Propter essentiam appellantur Spiritus *Matth. 8, 16. 1. Reg. 22. 21. Act. 16, 18. Eph. 2. 2. & 2.* ab officio ad quod initio conditi sunt, Angeli *2. Cor. 12. 7. Apoc. 12, 4. & 3.* ab adiuncta qualitate prava, quam liberè attraxerunt, Angeli peccantes *2. Pet. 2, 4.* non servantes ἀρχὴν *Jude v. 6. πῶς μὲν τὰ πνεύματα* Spiritus mali *Act. 19, 12. Luc. 7, 21. cap. 8. 2. ἀκαθάρτα* immundi *Matth. 10, 1. cap. 12. 43.* Spiritus erroris *1. Tim. 4, 1.* fornicationis *Ose. 4, 12. cap. 5, 14.* vertiginis *Esa. 19, 14.* divinationis *Act. 16, 16. ὁ πνεύματος* malignus ille *Matth. 13, 19. 1. Job. 2, 13.* mendax *1. Reg. 22. 21. & Pater mendacij Job. 8, 44. & 4.* à sciendo δαίμονες Dæmones *Matth. 8, 21. δαιμόνια Luc. 8, 27. cap. 9, 49. & κατ' ἐξοχὴν δαιμόνιον Job. 8, 48. 49. & 5.* à effectis διάβολος calumniator *1. Pet. 5, 8. Matth. 4, 15. 8. 11. cap. 8. 33. Ioban. 8. 44. יָדוּשׁ Adversarius Iob. 1, 6. cap. 2. 1. Zach. 3, 1, 2. ὁ σατανᾶς* Satan *Matth. 4, 10. cap. 12. 26. Marc. 3, 24. Luc. 11, 18. cap. 22. 31. 2. Cor. 12. 7. Apoc. 12, 9. ὁ ἀντίδικος ἡμῶν* 1. Pet. 5, 8. ὁ πειράζων tentator *Matth. 4, 3.* Inimicus *Matt. 13, 25.* Surdus & mutus spiritus *Marc. 9, 17, ἀνερωτωντόν* Homicida *Iob. 8, 44.* Asmodæus *Tob. 3, 5. & 6.* ab adjuncta forma apparitionum Draco *Apoc. 12, 7.* Draco magnus *v. 9. ὡς* serpens *Gen. 3, 1. & seqq. ὁ ὄφις 2. Cor. 11, 3. ὄφις ὁ δεξιός* serpens antiquus *Apoc. 12, 9. ὡς* hirci, pilosi, à gentibus Satyri appellati *Lev. 17, 7. שָׂרִים*

Angelorum  
Malorum  
Nomina

vasta-

vastatores *Deut.* 32, 17. & 7. ab adjuncta potestate *Βεελζεβὲθ* *Luc.* 11, 15. *Βελίαλ* *2. Cor.* 6, 15. Fortis armatus *Luc.* 11, 25. Leo rugiens *1. Pet.* 5, 8. princeps mundi *1. Cor.* 2, 12. *Iob.* 12, 31. cui potestas est aeris *Eph.* 2, 2. αἱ ἀρχαί, Rectores tenebrarum seculi hujus, spirituales nequitiae in sublimi *Eph.* 6, 12.

### LXXXI.

*Numerus.*

De *Numero* eorum, uti de bonorum nobis nihil certi constat, sed multa tamen esse millia illorum vel ex unico hoc colligitur argumento, quod in uno misero homine Legio continetur *Dæmoniorum* *Marc.* 5, 9. *Luc.* 8, 9.

### LXXXII.

*Ordo.*

*Ordinem* quoq; aliquem esse inter Diabolos, vix dubitari potest. Id enim cum varia ipsorum nomina & appellationes, tum clarissima scripturae testimonia, quae disparitatem quandam innuunt, declarant *Luc.* 11, 15. Christus à quibusdam insimulabatur, quod eijceret *Dæmonia* per *Βεελζεβὲθ* *Dæmoniorum* principem & *v.* 26. Immundus spiritus proficiscens assumit septem nequiores, quam fit ipse. Confer *Matth.* 12, 26. *Marc.* 3, 24. *Luc.* 11, 18. *Apo.* 12, 9.

### LXXXIII.

*Bona residua.*

Et illud extra dubitationis aleam ponitur, *bona quaedam* (late si accipias vocabulum) post lapsum illis esse *residua*. Remansit enim Vita (quamvis in aeterna morte) perennis *Matth.* 25, 41. Sacrorum vaticiniorum intelligentia *Matth.* 4, 8. Motus in pervagandis mundi partibus perniciosissimus *Job.* 1, 7. *1. Pet.* 5, 8. Summa in scrutandis negotijs sagacitas & versutia *Gen.* 3, 2. *2. Corinth.* 11, 3. κρείστων καὶ ὀρμῶν singulorum hominum notitia, multoq; usu parta cognitio.

Neg;

## LXXXIV.

Neque Angelorum *potentia* per lapsum omnino ex-  
piravit. Satan enim maximo & vehementissimo ful-  
gure pueros & pecudes Jobi consumit, magnoque ven-  
to à plaga deserti excitato quatuor angulos domus im-  
petit, ut super Jobi filios corrueret. *Job. 1, 6. 19.* Jobum  
multis ulceribus excruciauit *cap. 2, 7.* Angelo viginti &  
uno diebus tantoperè restitit, ut Michael unus de prin-  
cipibus primis venerit in auxilium ejus *Dan. 10, 13.* Qui-  
dam Spiritu impuro obsessus ne catenis quidem vinciri  
ac domari potuit *Marc. 5, 3.* Dæmones ingressi gregem  
porcorum quasi bis mille è præcipitio deturbarunt, &  
suffocarunt in mari *Matth. 8, 32. Marc. 5, 13. Luc. 8, 33.*  
Michaël & Angeli ejus præliati sunt cum Dracone  
& Angelis, qui tandem victi per sanguinem agni, *A-*  
*pocal. 12, 7.*

*Potentia.*

## LXXXV.

*Voluntas Dæmonum* ita corrupta & in malo obfirmata  
est post lapsum, ut sanctitatem, veritatem & justitiam,  
quæ omnimodo exciderunt, nunquam velle vel ample-  
cti possint *Job. 8, 44. 1. Job. 3, 8.*

*Voluntas.*

## LXXXVI.

Unde velut incensa fornace scelerum & fraudum  
scintillas, ignitaque tela indefinenter ejaculantur: *Eph.*  
*6, 16.* desiderant homines captivos tenere ad voluntatem  
suam, ne resipiscant ab ipsorum laqueis *2. Timoth. 2, 26.*  
Hominum corda excœcant, ne fulgeat ipsis clara lux E-  
vangelij *2. Cor. 4, 4.* ejecti non conquiescunt, sed septem  
nequiores assumunt *Luc. 11, 23.*

## LXXXVII.

Hinc ἄσπονδος πῆλεμ, hinc altercationes, hinc  
D rixæ

*Opera.*

rixæ in Ecclesia, in Politia, in Oeconomia, quarum  
Diabolus juratus DEI hominumq; hostis auctor atque  
architectus.

LXXXVIII.

*In Choro.*

*In Statu Ecclesiastico* DEum calumniatur *Genes. 3, 1. 4.*  
corrumpit & depravat verbum DEI *Matth. 4, 6.* volun-  
tatem divinam quoquo modo impedire laborat *Zach. 3, 1.*  
feminat zizania inter triticum *Matth. 13, 25.* excœcat  
mentes infidelium *2. Corinth. 4, 4.* Quam ob causam  
se in Angelum lucis transformat. *2. Corinth. 11, 14.* ad  
idololatriam homines instigat *Ose. 4, 12. Psalm 106, 37.*  
excitat persecutiones piorum *Johan. 8, 44.* falsos docto-  
res *1. Reg. 22, 21.* & contra veritatis amantes, foris pu-  
gnas, intus terrores, fuscitat *2. Corinth. 7, 5.* imò cola-  
phis eos cædit *cap. 12, 7.*

LXXXIX.

*In foro.*

*In Statu Politico* impedit sana ac salutaria consilia  
*Dan. 10, 13.* excitat seditiones *Num. 16, 3. Jud. 9, 23.* Bella  
*1. Reg. 22, 21.*

XC.

*In thoro.*

*In Statu Oeconomico*, & privatim ventilare homi-  
nes cupit, quemadmodum cribratur triticum *Luc. 22,*  
*31.* ad peccata invitando *Ephes. 2, 2.* excœcando τὰ νοῦ-  
μα *2. Corinth. 4, 4.* seducendo totum terrarum orbem  
*Apocal. 12, 9.* circumeundo & perambulando terram  
*Job, 1, 6.* sicut obambulat leo rugiens *1. Petr. 5, 8.* cor-  
pora affligit morbis varijs & subindè novis *Job. 2, 7.* Un-  
de in historia Evangelica sæpè dicitur, quod Dæmoniaci  
affligantur à Diabolo *Matth. 4, 24.* modo in ignem *Marc.*  
*11, 22.* modo in aquam conjiciantur *Matth. 17, 15.* tor-  
quean-

queantur miserè *Marc. 9, 21.* excœcentur etiam *Matth. 12. 22.* surdi & muti fiant *Luc. 11, 14.*

XCI.

*Pœnarum*, quas Dæmones justo iudicio DEI luunt, duo sunt genera. *Primo* Originalis iustitiæ & veritatis privatio. *Johan. 8, 44.* beati illius domicilij, quod prius obtinuerunt, amissio *Jude vers. 6.* dum in tartarum detrusi catenis noctis traditi sunt. *2. Pet. 2, 4.*

*Pœna*

XCII.

*Alterum* genus Pœnarum est in horrendo cruciatu positum *Matth. 8, 29.* igne æterno *cap. 25. 41.* sulphuris ignisque stagno *Apoc. 20, 10. 14.* cui à beatis hominibus adjudicabuntur *1. Cor. 6, 3.*

XCIII.

Quæ omnia hætenus prolixius à nobis dicta, si in unam summam colligamus, definitionem Angelorum hanc conficimus.

Angeli sunt Spiritus (seu essentiæ Spirituales) *Heb. 1, 7.* à DEO *Psal. 104, 4.* in bonitate ac veritate *Joh. 8, 44.* ad ipsius DEI gloriam *Esa. 6, 3.* & hominum custodiam *Psal. 91, 11.* conditi *Col. 1, 16.* quidam verò ex illis non servata origine *Gen. 1, 31.* peccarunt *2. Petr. 2, 4.* & reliquerunt domicilium *Jud. vers. 6.* facti sunt adversarij *1. Petr. 6, 8.* DEI *Matth. 4, 10.* & humani generis *Joh. 1, 6.* ac æterno igni *Matth. 25, 41.* catenis noctis *2. Pet. 2, 4.* sub caligine reservantur *Jude v. 6.* sed reliquis, qui inveritate perstiterunt *Hebr. 2, 2.* in bono confirmatis *1. Tim. 5, 15.* nunquam auferenda *Apoc. 2, 11.* æternæ felicitatis corona *2. Timoth. 4, 8.* donatur.

*Definitio  
Angelorū.*

Τῶ μόνῳ Θεῷ δόξα.

D 2

ANTI-

## ANTITHESIS

### Errant circa hunc locum.

Errores  
hic fugi-  
endi.

1. Sadducæi, qui neq̄ Angelum neq̄ Spiritum esse; Actov. 23, 8. sed vel diversos mentis affectus, vel rerum eventus ejusmodi nominibus significari somniabant.

2. Epicuræi, qui nec DEUM, nec Angelos in ullâ vitæ parte reverentes, & multoties vel seipso, vel alios, ac sæpè frivolos ob causas Satanae & diris devoventes eosdem ipso facto negant.

3. Philosophi, qui Intelligentias orbium cœlestium, uti volunt, motrices, primæ ac supræmæ Intelligentiæ DEO coæternas statuunt.

4. Platonici, qui Angelos antè mundum conditum aliquot seculis exstitisse sentiunt.

5. Simoniani, Nicolaitæ, Archontici, qui ab Angelis pulcherrimum mundi hujus theatrum, exstructum volunt.

6. Gnostici, qui ex ipsius DEI substantia, per propagationem Angelos factos dicunt.

7. Messaliani, qui eos natura corporeos & adspectabiles esse finxerunt.

8. Manichæi & Priscillianistæ, qui Diabolos, quales jam sunt, creatos esse autumant.

9. Ori-



9. Origenes, qui Diabolo tandem salvandos statuit.

10. Tertullianus, qui sceleratorum hominum animas in Demones converti existimavit.

11. Scholastici, qui summam saepe cum temeritate ἐμβάδισσι ἐν οἷς, ἃ μὴ ἐώρησαν, nec secus de rebus illis caelestibus disserunt, ac si jamprimum ex caelo delapsi essent.

12. Pontificij, qui commentitiae cujusdam ταπεινοφροσύνης obtentu, religiosum adorationis cultum, soli DEO debitum, superstitiosè Angelis tribuunt.

### Hectas Problematum.

I.

An Angeli pertineant ad Ecclesiam? N.

II.

An distinguatur rectè Ecclesia in visibilem & invisibilem? A.

III.

An Christus omne juramentum prohibeat Matth. 5. 34. N.

IV.

An ἀνεκβιότης beneficij loco habenda? A.

V.

An Simsonis mors stabiliat ἀποχρησίαν? N.

VI.

An Lex moralis perfectè à nobis impleri possit? N.

D 3'

PRÆ-



PRÆSTANTISSIMO ET LITERATISSIMO

*Viro - Juveni,*

D. N. M. PHILIPPO JACOBO

FABRICIO, S. S. Theologiæ Studioſo,

amico meo chariſſimo,

*De*

ANGELIS disputaturo.

**F**urtivas flammæ Saturnia Diva coercens  
Conjugis, excubijs fo servasse juvencam  
fertur Aristoridæ vigilis, cui lumina centum  
contigerant, & qui poterat percurrere tractus,  
quos aut a versus, vel quos ad versus habebat.

Quem penes arbitrium est terra, celiq; potestas  
Christigenum cœtum custodibus undiq; sepsit,  
qui varios hominum possent & Demonis astus  
ludere, pellendo, propè si quid adesset acerbi.

Ast veluti manibus Tegeæi mortuus Argus  
ante suos annos, ita cum mandârat Adulter;  
Non ita regnator tenebrarum morte necare  
custodes illos poterit, sed Numinis almi  
sub clypeo forti sua munia mente capeſſent.

Hinc est, ut plaudam, quod tu, dilecte Ma-  
gister,

qui

qui sint custodes isti, quo munere leti  
fungantur, queris, quæ sunt erronea tollens.  
Gratulor ac oro, latus ut custodia cingat  
ista tuum, volvis dum talia digna sagaci  
corde, satellitioq; suo nos protegat almo.

gratulationis ergo festinanter

f.

BERNHARDUS Sædekingf

Lemgoviâ—Westphalus.



**F**ortia sunt arcis munita **M O E N I A**,  
torto

Disicere illis quæ catapulta nequit;  
Fortis **Æ** **A R S** meritò est, superat quæ monstra  
laborum,

Quæ spernit laqueos, Pirithoique minas;  
Fortis **Æ** alma **F I D E S** Pythiæ fuit, atque  
Damonis,

Frangere nec didicit quam truculenta cohors!  
Fortis **Æ** armisonans **M A R S** est, dum tympa-  
na pulsat,

Classica dum cantat, dum quatit arma manu:  
Fortis **Æ** ipse **F U R O R** sceleratis efferus ausis,  
Cum miseram mentem cogit in omne nefas:

Fortel

Forte melos CHELTOS, quo vincula sensibus,  
ori

Injicitur requies, quo fera cura perit:

At tu stipatus Genijs, ꝑ ACOBE FABRICI,  
Antimachos curvo fortius are cies;


Fortior est, inquam, tua nunc lorica, PHILIPPE,  
MOENIBUS, ARTE, FIDE, MAR-  
TE, FURORE, CHELT.

ὁλοκαρδίως συγκαίρησας  
f.

Heinricus Starcke

Hervurd - VVestph.








Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



M. A.  
Theologica  
ELIS  
SIS ET  
I S.  
authoritate  
Academiae Rostor-  
Collegij  
DE  
ARNOVIO,  
Professore,  
am proponit  
uditorio Majori,  
nis  
BUS FABRICIUS  
fis.  
II  
danus, Acad. Typog.  
XXV.

